



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXXI. Der Herzog Rudolph von Sachsen richtet mit dem Bischofe und Domcapitel einen Bund auf gegen den Erzbischof in Magdeburg, am 14. Nov. 1320.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CLXXXI. Der Herzog Rudolph von Sachsen richtet mit dem Bischofe und Domcapitel einen Bund auf gegen den Erzbischof in Magdeburg, am 14. Nov. 1320.

Nos Rudolphus, dei gratia dux Saxonie, Angarie, Westphalie, comes in Bren ac burggravius in Magdeburg venerabili in Christo patri domino Johanni, Brandenburgensi episcopo, Johanni, ejusdem ecclesie, Johanni Leizkenfi, Bernhardo, Berlinensi, Nicolao Bernowensi, Theodorico Stolpenfi, Johanni Livenwoldensi prepositis ceterisque prelati et clericis totius Brandenburgensis diocesis pro eo, quod nostris justis et legitimis appellationibus ac sententiis ac aliis processibus iudicum, pro venerabili in Christo patre, domino Borchardo, dicte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopo, a sede apostolica datorum et dandorum, inter nos et procuratores nostros ad sedem apostolicam vel ad quoscunque alios superiores iudices, interjectis et in posterum interponendis assent, quoad iustitiam bona fide promissimus et promittimus per presentes, nos nullo unquam tempore velle inire aliquam cum predicto domino ordinationem vel compositionem, nisi prefati domini Brandenburgensis episcopus, prepositi, prelati ac reliqui clerici totius Brandenburgensis diocesis predictae ordinationi vel compositioni sint totaliter interclusi, et quod statim appellationibus eorundem a predicto domino Magdeburgensi archiepiscopo vel aliis quibuscunque iudicibus ad sedem apostolicam vel alias interpositis et interponendis a gravaminibus quibuscunque. Expensas quoque per eos factas et faciendas in causis quibuscunque prenominarum appellationum sicut in nostris causis pecunia nostra propria persolvemus, et si aliquo dierum nos cum dicto domino archiepiscopo Magdeburgensi composuerimus, ut supra dictum est, per viam iustitiae vel amoris, idem autem archiepiscopus cum predictis dominis episcopo, prepositis, prelati ceterisque clericis totius Brandenburgensis diocesis denuo lites et contrarietates suscitaret, tunc eidem in suis legitimis et rationabilibus causis et appellationibus sine omni dolo astabimus firmiter, sicut prius, et illud ipsum ipsi nobis facient versa vice. Promittimus insuper bona fide prelibatos dominos Brandenburgensem episcopum, prepositos, prelatos ceterosque clericos Brandenburgensis diocesis, eorum bona et maxime prenominate Brandenburgensis ecclesie bona ac possessiones in suis libertatibus ac iuribus conservare nec eos impedire aliquo modo in eisdem, prout ipsis competunt in privilegiis, jure, consuetudine vel statuto. Invafores etiam prenominarum libertatum et iurium raptos et violentos detentores suarum possessionum, bonorum mobilium vel immobilium comescere valeant, etiam si nostri vasalli vel familiares extiterint, per excommunicationum sententias, prout postulat ordo iuris. Si autem, quod absit, dicti detentores vel raptos eorum sententias vilipenderent, obligamus nos, quod tales, omni occasione postposita, quandocunque ab eis vel aliquo eorum requisiti fuerimus, compellamus vel compelli procurabimus ad plenariam satisfactionem per auxilium brachii secularis. Insuper si nos contigerit ante finem litis et guerre debitum univere carnis persolvere, dilectus frater noster, dux Wentzlaus, filii nostri, et quicumque legitimi successores supranominatam ordinationem observabunt integraliter et complete. In cuius rei testimonium et evidentiam plenior hoc presens instrumentum sigillo nostro duximus roborandum. Datum et actum Brandenburgi, anno domini M^o. CCC^o. XX^o. feria sexta post diem beati Martini episcopi, presentibus nostris fidelibus consiliariis: domino preposito Bernowensi, domino Thiderico, nostro prothonotario, domino Alberto et domino Hinrico de Alvenfleve, domino Hinrico de Rochow, domino Lofero, militibus, et aliis pluribus fide dignis.

Nach der Copie im alten Copialbuche.